

COMPENDIUM

THEOLOGIAE UNIVERSAE

AD USUM

EXAMINANDORUM.

AUCTORE R. P.

THOMA EX CHARMES,

PROVINCIAE LOTHARINGIAE CAPUCCINORUM DEFINITO-
RE, CUSTODE GENERALI, NECNON ANTIQUO SACRAE
THEOLOGIAE PROFESSORE.

EDITIO NOVISSIMA

AUCTIOR ET EMENDATOR

TOMUS SECUNDUS.

MEXICI: MDCCCXXXV.

Apud Marianum Galvan in via [vulgo] de Cadena.

SUPERIORUM PERMISSU.

Luis G. Gordoa

TRACTATUS IX.

DE LEGIBUS.

Nota. Agendum est hic 1. de Legibus in communi; 2. de Lege aeterna; 3. de Lege naturali; 4. de Lege positiva divina; 5. de Lege humana.

CAPUT PRIMUM.

De Legibus in communi.

Quaeres 1. **Quid sit Lex?**

Resp. Est, Rationis ordinatio stabilis ad bonum publicum promulgata ab eo qui curam communitatis habet, cum intentione obligandi subditos.

Dicitur 1. *Ordinatio;* id est, praeceptum, quod tenet locum generis; omnis enim lex est praeceptum, sed non omne praeceptum est lex.

Dicitur 2. *Ordinatio rationis;* id est, rationi consenteantia et justa, tum ex parte objecti, quod debet esse bonum, honestum et moraliter possibile; tum ex parte Legislatoris, qui suam potestatem non debet excedere; tum ex parte subditorum, inter quos servari debet proportionis aequalitas in onerum distributione, quae debet fieri pro cuiuscumque virium et facultatum proportione.

Dicitur 3. *Stabilis;* id est, non ad tempus, sed in perpetuum duratura, nisi abrogetur, vel nisi mutatis circumstantiis noxia aut inutilis fiat.

Dicitur 4. *Ad bonum publicum;* quia est finis legis et potestatis legislativae.

*

Dicitur 5. *Promulgata*; id est, intimata subditis, qui aliter non possent legem observare.

Dicitur 6. *Ab eo qui curam Communitatis habet*; id est, qui jurisdictionem exteriorem habet in communitem perfectam; v. gr. in Ecclesiam, Regnum, Provinciam, Dioecesim, &c.

Dicitur 7. *Cum intentione obligandi subditos*; per quod lex distinguitur a consilio, quod per se non obligat, *etsi sit morum regula*.

Quaeres 2. *Quid sit legis promulgatio?*

Resp. Est, *authentica illius notificatio eis facta, a quibus Legislator vult eam impleri*.

Quaeres 3. *Utrum promulgatio sit de essentia legis?*

Resp. Est complementum essentiale legis, prout actu et de facto obligantis; ratio est, quia voluntas Legislatoris per promulgationem constitutur formaliter in esse regulae, cui subditus se conformare debet, juxta illud D. August. apud Gratianum, dist. 4. cap. 3. *Leges instituantur, cum promulgantur*; ergo ante promulgationem non habet completam rationem legis.

Objicies 1. Lex est regula, promulgatio vero est applicatio regulae; atqui applicatio regulae, non est de essentia regulae; ergo, &c.

Resp. *Dist. maj.* Promulgatio est applicatio regulae sumptae incomplete, *conc.* sumptae completae, *nego maj.* et sic ad minorem. Itaque lex incomplete sumpta, est voluntas interna Legislatoris; lex vero complete sumpta, est eadem voluntas rite applicata per promulgationem, et ideo promulgatio est complementum essentiale legis complete sumptae.

Objicies 2. Lex obligat non solum eos quibus jam innotuit, sed et eos quibus est incognita; ergo promulgatio non est de essentia legis.

Resp. *Nego conseq.* Evidem divulgatio legis, qua cuilibet subdito in particulari innotescit, non est de essentia legis; bene vero promulgatio, ad quam suffici-

at cum requisitis solemnitatebus facta, cuilibet particuliari facile innotescere possit, qua posita, omnes lege constringuntur, sive qui eam norunt, sive qui eam ignorant, etiam invincibiliter: licet enim ignorantia invincibilis eos excusat a peccato, non tamen eos reddit habiles ad actus ad quos per legem sunt inhabiles facti.

Quaeres 4. *Utrum lex prioris legis revocatoria debet promulgari?*

Nota. Lex alia est *favorabilis*, quae est praeter jus commune, et nulli affert praejudicium. Alia *odiosa*, quae juri communi adversatur, aut alteri nocet.

Resp. 1. Lex, prioris legis favorabilis revocatoria, debet promulgari, nam vera lex debet promulgari, nisi jus aliter statuat; atqui lex revocatoria est vera lex, nec jus statuit eam non debere promulgari; ergo, &c. Hinc lex revocatoria privilegii audiendae Missae tempore interdicti debet promulgari,

Resp. 2. Lex prioris legis odiosae revocatoria, non debet promulgari: quia illa lex est favorabilis; atqui ex juris axiomate: *In favorabilibus necessaria non est promulgatio;* ergo &c.

Resolves. Plurimas facultates, quae in Concilio Tridentino Episcopis largiuntur, esse ubique terrarum validas, licet in singulis Provinciis Concilium non sit promulgatum; quia subtractio harum facultatum, quae jure communi Episcopis competunt, erat ipsis oneri.

CAPUT II.

De Lege aeterna.

Quaeres 1. *Quid sit lex aeterna?*

Resp. Definitur a Div. August. *Ratio divina, vel voluntas, ordinem naturalem servari jubens, et perturbari retans.*

Dicitur 1. *Ratio divina*: id est, in mente divina existens.

Dicitur 2. *Vel voluntas*: quia lex in actu voluntatis formaliter existit, *Psal. 102. Deus notas fecit vias suas Moysi, et filiis Israel voluntates suas*, id est leges et praecepta.

Dicitur 3. *Ordinem naturalem servari jubens, &c.* Id est, ordinem generalem ad quem res sunt institutae, v. gr. quod ignis sursum inclinetur, lapis vero deorsum.

Quaeres 2. *Utrum omnia subjiciantur legi aeternae?*

Resp. Omnia subjiciuntur: nam creatureae rationales ipsi subjiciuntur ut praecipienti vel prohibenti; irrationales vero illi subjiciuntur ut ordinanti et moventi illas in suos fines, non vero ut praecipienti, quia non sunt capaces praecepsi et obedientiae.

Quaeres 3. *Utrum omnes leges a lege aeterna deriventur?*

Resp. affirm. Nam de lege aeterna dicitur, *Prov. 8. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Ratio est, quia in omnibus moventibus ordinatis, virtus secundi moventis derivatur a primo; ergo necesse est quod omnes rationes gubernationis, quae sunt in inferioribus gubernantibus, a lege aeterna deriventur.

Quaeres 4. *Quomodo leges ab aeterna derivantur?*

Res. Derivantur diversimode: nam lex divina ab aeterna immediate profluit; lex naturalis mediante lumine rationis; lex humana mediante potestate principibus communicata.

CAPUT III.

De Lege naturali.

Quaeres 1. *Quid sit lex naturalis?*

Resp. Definitur a Div. *Thom. I. 2. q. 91. art. 2. Participatio legis aeternae in rationali creatura.*

Dicitur 1. *Participatio legis aeternae*: quia illius est fulgor et radius, per quod convenit cum omnibus legibus positivis, omnes enim, si justae sint, ab aeterna derivantur.

Dicitur 2. *In rationali creatura*: quia ejus menti ab auctore naturae imprimitur, per quod differt a legibus positivis, quarum nullum vestigium in cordibus nostris reperitur, cum sint prorsus extrinseciae.

Quaeres 2. *Quaenam pertineant ad legem naturae?*

Resp. Omnia praecepta, ad quae ex natura rei, et independenter a quacumque lege positiva, obligamus: talia sunt:

1. Universalissima principia practica cuilibet naturaliter nota, quale est illud: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

2. Ea praecepta quae ex primis principiis per facilem et evidentem discursum deducuntur: sic ex hoc principio: *Quod tibi fieri nos vis, alteri ne feceris*, ista facile deducuntur: ergo *non est furandum, non est occidendum*, et alia Decalogi praecepta.

3. Ea praecepta quae ex primis principiis, non nisi difficulti, nec statim obvio discursu deducuntur: quomodo ex hoc principio: *Quod tibi fieri non vis, &c.* concluditur: *Ergo ne divitibus quidem pecunia danda est ad usuram.*

Quaeres 3. *Utrum omnes actus virtutum pertineant ad legem naturae?*

Resp. Pertinent, si spectentur secundum rationem genericam qua sunt virtuosi, quia ad eos sic spectatos natura inclinat. Non pertinent vero si spectentur secundum proprias suas species, v. g. si actus temperantiae spectetur ut exercendus per abstinentiam a carnisbus, sic non est de lege naturali, sed positiva, pendet enim ex voluntate et praecepto Ecclesiae.

Quaeres 4. *Utrum pertineat ad legem naturalem, ut actus virtutis fiat ex motivo honesto et virtuoso?*

Resp. affirm. Quia lex naturalis praecipit ut actus hominis sint semper rectae rationi consentanei; atqui actus virtutum facti ex motivo pravo non sunt rectae rationi consentanei; ergo.

Quaeres 5. Utrum lex naturalis possit mutari?

Resp. 1. Non potest mutari proprie: nam legem mutari proprie, est legem desinere, vel *per se ipsam*, cum de justa fit injusta, vel per *abrogationem et irritationem*; atqui lex naturalis 1. de justa non potest fieri injusta, cum nihil praecipiat, nisi quod est intrinsece bonum, nihilque prohibeat, nisi quod est intrinsece malum. 2. Non potest abrogari, neque irritari, cum nihil aliud sit quam legis aeternae radius, quae est indefectibilis, et tam necessaria quam ipse Deus cui identificatur.

Resp. 2. Potest mutari improprie, nimurum *per subtractionem materiae*, cum nempe id quod erat materia legis naturalis desinit esse ejusdem materia; v. g. alienum retinere invito Domino, est materia legis naturalis prohibentis, at per legitimam praescriptionem desinit esse materia illius legis, quia desinit esse alienum, proindeque potest invito Domino retineri.

Quaeres 6. Utrum simplex interpretatio locum habeat in lege naturali?

Resp. affirm. Nam simplex interpretatio nihil aliud est quam simplex terminorum legis expositio; atque legis naturalis termini quandoque exponi debent; sic hoc praeceptum: *Non occides*, exponi debet de occisione facta *auctoritate privata*, vel *extra casum justae defensionis*, cum hi casus in universalitate legis naturalis non comprehendantur.

Quaeres 7. Utrum epikeia locum habeat in lege naturali?

Resp. negat. Quia lex naturalis excipit omnes causas excipiendos; ergo, &c.

Quaeres 8. Utrum Deus possit dispensare in lege naturali?

Resp. Non potest, quia non potest facere ut quod est intrinsece malum, sit honestum et licitum.

Objicies. Deus non semel dispensavit in lege naturali: et quidem 1. cum Abrahamo, ut ei liceret filium occidere. 2. Cum Israelitis, ut *Ægyptiorum* vasa aurea furarentur. 3. Cum Osea, ut fornicarie ad meretricem accederet. 4. Cum Patriarchis, ut plures haberent uxores. 5. Cum Judaeis, ut secundas inirent nupias. 6. Cum iisdem, ut ab alienis sumerent usuras. 7. Cum obstetricibus *Ægyptiacis*, ut mentirentur. 8. Cum primis hominibus, ut proprias sorores in uxores sumerent; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Dispensavit improprie, subtrahendo nimurum materiam legis naturalis, *conc. proprie*, manente nimurum legis naturalis materia, *nego ant.* Et quidem:

1. Deus, ut supremus vitae et necis Dominus, prius dedit Abrahamo jus in vitam filii, quam illi praeceptum de eo occidendo imponeret, et sic subtracta est materia legis naturalis, quae solum vetat homicidium auctoritate privata factum.

2. Deus, ut supremus rerum omnium Dominus, transtulit in Israelitas dominium earum quae abstulerunt ab *Ægypto*; unde quod rapuerunt non erat alienum, sed suum.

3. Deus non concessit Oseae ut accederet ad mulierem meretricem ante matrimonium initum, sed praecipit, ut eam, quae prius fornicaria fuerat, duceret in uxorem, et ad eam affectu maritali accederet, in quo nihil est alienum a jure naturali.

4. Lex naturalis non prohibet matrimonium unius cum pluribus utoribus, quando Deus, disponens de jure matrimonii in bonum universi, dominium corporis viri ab una uxore in plures dividit, et impedit incommoda quae ex uxorum pluralitate sequi possent.

5. Deus non permisit Judaeis, ut secundas inirent

nuptias, nisi post irritatum vinculum prioris matrimonii, quod non est amplius contrarium juri naturali.

6. Deus non concessit Judaeis, ut ab omnibus alienis acciperent usuras, sed ab illis quibuscum justum bellum gerebant, quibus non fortunas modo, sed et vitam eripere potuissent; unde quod exigeabant, erat suum jure belli, non alienum.

7. Deus cum obstetricibus non dispensavit in mendacio; unde vere peccaverunt mentiendo: neque eas remuneravit propter mendacium, sed propter bonam intentionem, qua volebant prodesse Hebreis mulieribus, licet medium fuerit vitiosum.

8. Matrimonium fratris cum sorore inter filios Adami non fuit prohibitum jure naturae, *compellente necessitate propagandi genus humanum*, ait Div. August. lib. de Civit. cap. 16. cum enim unicus mas, et unica foemina a Deo conditi fuissent, necesse fuit sorores fratribus commiscerentur.

Inst. Deus per sumnum Pontificem dispensat in voto et juramento; ergo.

Resp. Dist. ant. Dispensat proprie, *nego*; improprie, votum nempe et juramentum relaxando et tollendo, *conc.* Porro, ea relaxatione facta, tollitur obligatio juris naturalis de reddendo promisso.

CAPUT IV.

De Lege positiva divina.

Quaeres 1. **Q**uotuplex est lex divina positiva?

Resp. Duplex, vetus, seu mosaica; et nova, seu evangelica.

Quaeres 2. An lex vetus fuerit bona.

Resp. affirm. Juxta illud Apostoli, Rom. 7. *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Nec mirum; nam fuit regula morum data a Deo; Christus eam executioni mandavit; ergo.

Objicies 1. Ezech. cap. 20. dicit Deus: *Dedi eis praecepta non bona, et iudicia in quibus non vivent;* ergo.

Resp. Dist. ant. Dedi permissive, *conc. positive, nego ant.* Scilicet textus ille debet intelligi de tyranicis gentilium praecceptis colendi Moloch per mactationem primogenitorum, quibus subdi Israelitas permisit Deus in poenam suae idolatriae; unde addit: *Et pollui eos, id est, permisi eos pollui, in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam.*

Inst. 1. Ex Apost. Rom. 8. lex culpa non vacavit: ergo.

Resp. Dist. Non vacavit culpa, sumpta pro infirmitate et imperfectione, *conc.* pro peccato, quasi aliquid malum contineret, nego. In hoc autem fuit infirma, quod per se homines justificare non poterat, sed tantum per fidem in Christum venturum.

Inst 2. Rom. 5. dicitur: *Lex subintravit, ut abundaret delictum;* ergo cupiditati fomenta praebuit.

Resp. Nego ant. Nam particula *ut*, non significat causam, sed occasionem, ita ut sensus sit: *Lex subintravit, unde factum est* (propter depravationem naturae nitentis in veticum) *ut abundaret delictum:* ita interpretatur Cornelius a Lapide.

Objicies 2. cum Quesnello. Lex vetus carebat gratia ad sui observationem necessaria; ergo.

Resp. Nego ant. Licet enim gratia per legem non daretur, una tamen cum lege conferebatur: *scilicet, fides mediatoris, per quem justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur,* ait D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 2. ad 4.

Quaeres 3. *Quot genera praecceptorum complectebatur lex vetus?*

Resp. Tria; nempe, *moralia*, quae ordinantur ad mores juxta rectae rationis normam componendos, continenturque in Decalogo. *Ceremonialia*, quibus certi ritus ad Dei cultum ordinati praescribuntur. Tandem ju-

*dicia*lia, quibus praescribitur modus justitiae inter Ju-
daeos servandae.

Quaeres 4. Quosnam obligaverit lex vetus?

Resp. Solos obligavit Judaeos, quibus solis data fuit, Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis.* Tamen gentiles praeceptis moralibus fuerunt subditi, non tamen vi legis scriptae, sed vi solius legis naturalis.

Quaeres 5. Utrum lex vetus sit abrogata?

Resp. affirm. Nam ex Apost. Hebr. 7. *Translatio Sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Atqui Sacerdotium Aaronicum penitus et absolute translatum fuit et abrogatum; ergo et lex Mosaica; unde Apost. Rom. 6. dicit absolute: *Non estis sub lege, sed sub gratia.*

Objicies 1. Baruch. 4. dicitur: *Lex quac est in aeternum; ergo.*

Resp. Nego conseq. Eodem enim sensu lex dicitur esse in aeternum, quo omnes leges dicuntur perpetuae; nimirum, 1. quia sunt ad longum tempus: 2. quia in earum promulgatione nullus apponitur determinatus terminus; unde semper durant, donec abrogentur.

Objicies 2. Tenemur adhuc servare praecepta Decalogi; ergo lex vetus non fuit abrogata quoad praecepta moralia.

Resp. Dist. ant. Tenemur vi legis naturalis et Evangelicae, conc. vi legis Mosaicae, nego. Unde nego conseq.

Quaeres 6. Quandonam lex vetus fuerit abrogata?

Resp. 1. Fuit abrogata secundum se in ipsa Christi morte, nam Apostolus, Hebr. 7. ait: *Translatio Sacerdotio, necesse est ut et Legis translatio fiat.* Atqui Sacerdotium Aaronicum fuit translatum, et novum conditum, cum Christus, novus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, seipsum Patri in cruce obtulit, juxta illud Hebr. 10. *Aufert primum (Sacerdotium) ut sequens statuat;* ergo.

Resp. 2. Non fuit abrogata quoad vim obligandi, nisi in festo Pentecostes; quia non prius desiit obligare, quam lex nova cooperit obligare, juxta illud Ephes. 2. *Legem mandatorum decretis (Evangelicis) evançans;* atqui lex nova non coepit obligare, nisi in die Pentecostes, quo primum fuit sufficienter promulgata: ergo.

Objicies. SS. Patres docent communiter legem veterem in ipsa Christi morte mortuam esse; ergo tunc desiit obligare.

Resp. Dist. ant. Docent mortuam fuisse, secundum se, conc. quoad obligationem, et effectum, nego. Adhuc enim utiliter observabatur.

Quaeres 7. Utrum lex vetus, statim atque inutilis ac mortua evasit, quoad praecepta ceremonialia evaserit etiam mortifera, ita ut non potuerit amplius absque peccato observari?

Resp. negative. Nam Apostoli, pro loco et tempore, oeconomiae causa, sed non ex necessitate salutis, aliquos ritus ceremoniales usurparunt. Sic. Div. Paulus, act. 16. Timotheum ex matre Judaea natum circumcidit propter Judaeos qui erant in illis locis. Item de consilio Jacob et seniorum, sese purificavit cum Judaeis, et cum illis ingressus est Templum, juxta legis praecriptum, &c. ergo.

Objicies. Apostoli ficte tantum et simulatorie usurparunt legalia; ergo, &c.

Resp. Nego ant. Nam illa simulatio fuisse verum mendacium, cultus supersticiosus, et scandalum; alios enim suo exemplo induxissent ad peccandum; atqui nunquam illa licita esse possunt; ergo.

Inst. Post evangelium promulgatum, ritus legales erant falsi; ergo Apostoli non potuerunt illos serio observare.

Resp. Nego ant. Neque enim Apostoli ritus legales usurpabant, ut Christum praefigurarent, sic enim fuisse falsi; sed eos dumtaxat usurpabant, ut Synagoga

cum honore sepeliretur, quod erat maxime licitum.

Quaeres 8. Quo praecise tempore lex vetus evaserit mortifera?

Resp. Evasit mortifera quadragesimo circiter post Christi mortem anno, cum eversum fuit a Tito et Vespasiano Imperatoribus Romanis, Templum Hierosolymitanum, quia tunc non erat amplius necessarium deferre honorem Synagogae penitus sepultae.

Quaeres 9. Quid sit lex nova?

Resp. Describi potest, *Lex per se justificativa, a Christo condita, ab Apostolis die Pentecostes promulgata, et ad finem mundi duratura.*

Quaeres 10. Utrum lex Evangelica sit vera lex?

Resp. affirm. Nam continet praecepta ad bonum Ecclesiae ordinata, de quibus Christus, *Joann. 14. ait: Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Unde Christus, *Isaiae 33. dicitur, Dominus legifer noster.*

Objicies 1. Rom. 6. dicitur: Non estis sub lege, sed sub gratia. Et 1. ad Tim. 1. Lex justo non est posita, sed injustis; ergo &c.

Resp. Nego conseq. Primus enim textus intelligitur de lege Mosaica: quae erat nuda lex, praeceptiens, sed non juvans interius ad praestandum quod jubebat.... Secundus textus intelligitur de lege poenas intentante, quae non est posita justo, qui sponte facit bonum quod lex imperat.

Quaeres 11. Quotuplicis generis sint praecepta novae legis?

Resp. Triplicis: scilicet, 1 *moralia*, quae licet non sint a Christo instituta, ab eo tamen sunt confirmata, explicata, et ab erroribus, quibus ex malitia hominum obvoluta fuerant, vindicata. 2. *Praecepta fidei*, quae sunt a Christo clarius explicata, ita ut explicite teneamus credere, quae in lege veteri solum implicite credebantur. 3. *Praecepta sacramentalia*, quae sunt à

Christo de novo instituta, ut sint loco veterum, quae sunt ab eo abrogata.

CAPUT V.

De Lege humana in genere.

Quaeres 1. Quid sit lex humana?

Resp. Est, *rationis ordinatio stabilis, ad bonum publicum condita, et promulgata ab homine qui curam communitatis politicae aut Ecclesiasticae habet, cum intentione obligandi subditos.*

Quaeres 2. Quinam possint ferre leges?

Resp. Possunt omnes qui habent curam communitatis perfectae, id est, quae sibi sufficit ad assequendum finem, ad quem instituta est.

Hinc 1. omnes principes supremi, et regiones quae sunt sui juris, possunt condere leges civiles pro suis subditis.

Hinc 2. Possunt condere leges ecclesiasticas S. Ponitifex et Concil. Ecumenicum, pro tota Ecclesia; Concilia nationalia, pro tota natione; Provincialia, pro Provincia; Episcopi, pro sua Dioecesi; Legati summi Pontificis pro territorio suae legationis, &c.

Quaeres 3. Quaenam sit materia legum humanarum?

Resp. Materia legum civilium, est bonum communitatis temporale; propria vero legis canonicae materia, est bonum communitatis spirituale.

Quaeres 4. Utrum lex civilis possit praecipere actus internos?

Resp. 1. Potest indirecte praecipere actus internos, qui per se conjucti sunt cum actibus externis; sic potest praecipere juramenti praestationem, bonorum ventionem; atqui neutrum potest subsistere absque interno voluntatis consensu, ergo, &c. 2. Non potest praecipere actus mere internos, quia non sunt necessarii ad